

15

Q. D. B. V.
VENERANDOS UTRIVSQUE; ORDINIS PATRES
& quorum in Literas aut Literatos ulla exstant studia aut merita
ut Orationem;

DE SEXUS FOEMI- NEI IN LITERAS & LITERATOS STUDIIS AC MERITIS

quam
privatim à se se concinnatam
publicè

Juvenis optimæ Patriæ ac Suorum spei natus
& literis elegantioribus non mediocriter perpolitus
BERNHARDUS ELSING

in consveto Phrontisterii nostri loco
ad diem XXV. Novembr. hora X. matutina
eâ, quâ pollet animi præsentia ac modestiâ recitabit
auribus excipere patentibus animisq; faventibus

dignentur
submissè atq; officiosè
rogat & invitat

M. JACOBUS Wilbe.

Utr. Eloqv. & Hist. P. P.

1703

RIGÆ
LITERIS NÖLLERIANIS.



RAbidus ille atq; tabidus livor, qui cum homine natus, lacte quasi materno innutritur, fames quaedam infamis est, & infaturabilis: Ingere quantum libet alimentorum: Alitur fames, nec latratum cohibet, sed & instar voraginis in Siculo mari inexplebilis est. Prome, quicquid habes nutrimentorum: Nutris in mediam, quae eo quod edit, pectus tuum exedit. Appone largiores dapes: Oleum camino affundes, & quò te largius in vitaveris livide, eo magis invidiae famem incitaveris, quae tanquam Æthæus ignis (a)

--- Nunc motibus astra lacepsit

Terrificis, damnusq. suis incendia nutrit.

Nam ubi dente Theotano, ut Flaccus amat loqui, (b) aliorum circumrodit famam, deficiente tandem externò pabulò, in sua grassatur viscera. Polypum vides polyphagum suos ambedentem cirros? (c) Carum rides suos devorantem catulos? (d) Ride, qui vides invidiam, quae in sui ipsius pascitur odio, ac hirudinis instar exfangvis sangvinem, si cui generis quoque sui inesse viderit, exfugit. Ut autem videas tristes ejus & verè Thyesteas epulas, non est quod exspatieris longius. Neque ego Perlicos inter (quos vel ideo odisse decet) (e) apparatus Cyrum Perfarum Regem, ut serie sic glorià primum, demonstrabo, quem invidus Astyages avus avibus atque feris (quae feritas!) dilaniandum exposuit apposuitque. (f) Neque Britannicum sistam, Neroni beneficio adoptionis fratrem, qui ideo instructissimo admovebatur epulo, ut cibus oculorum invidiaeque fratris fieret, ut-

pote
(a) Claudian. de rapt. Pros. v. 165. (b) Horat. l. 1. Ep. 18. v. 82. (c) Id de Polypode refert Alcæus ap. Athen. & Ælian. l. 2. πικρ. c. 1. Contrarium tamen tenent Arist. de Hist. an. l. 8. c. 2. p. m. 1012. Plin. 9. c. 29. (d) Conf. Franzii hist. anim. part. 1. c. 18. p. m. 134. (e) Horat. l. 1. od. 38. (f) Just. l. 1. c. 4.

pote qui venenum ei præsentissimum præbebat, eò quod delictum populi erat, & vocem, quæ ei jucundior, quam sibi, supperebat, morte præcludi volebat (g) quid quæso juvat, hæc invidiæ cupedia quæ tibi ex sanguine suorum opipara parat, ex oris adeò diffitis arcescere, cum è nostro penore depromere domestica liceat? Sunt certè ubiq; improbi popæ (papæ quàm frequentes!) qui livori sese devoventes, ei hostias, nec ex hostibus tantum, sed & conjunctissimis offerunt. Fœmina enim quid est? Virilis particula corporis: quæ est alia propinquior, confanguinitas, quam quæ fœmineo sexui cum virili intercedit? Genitrix virorum omnium, è virili costa nata, eodem, quo illi, generis auctore usæ est. Attamen viri complures, nescio quò præposterò æstu perciti, odio ejus, licet arctissimo necessitudinis gradu sese contingentis, inextincto ardent. Quid verò hoc nisi in sua sævire viscera est? Creaturarum longe elegantissimam, quam ipsi hi invidi inviti quoque, deperire solent, nullius non gratiæ atque veneris compendium, quod vel ab ipsa natura omne pulcritudinis punctum tulit, *operum, quæ produxit Omnipotens Creator complementum* (h), imperfectum, mutilum atque pumilum, quoniam *ἀμαρτυρία* ac erratum naturæ, adeoque monstrum esse impiè calumniantur. (i) Parum est. Sociam ad utriusque fortunæ aleam fidissimam, in viri contubernium creatam, consiliorum omnium ac arcanorum custodem, ut perfidam persequuntur proditricem, cum Poëta exclamantes: (k)

Ab crudele genus, nec fidum fœmina nomen!

Parum est. Virtutis splendorem, quo nonnullæ in gynæceo vel maximè coruscant, & tantum non clarentes foris viros interdum

tan-

(g) Svet. in Ner. c. 33. (h) Corn. Agrip. à Nettesh. in lib. de nobilitate & præcell. fœm. annexo tract. de vanit. Scient. p. 320. (i) Arist. l. 2. de Gen. anim. c. 3. & l. 4. c. 2. Thom. part. 1. quæst. 92. art. 1. aliiq; quos confutavit Voët. in Pol. Eccl. part. 2. l. 1. tract. IV. c. 1. quæst. 2. Conf. m. G. Schott. in Physic. curios. ad lib. 5. append. c. 3. (k) Tibull. El. 4. l. 3.

tanquam minora lumina obfuscant, ut testatur de Semiramide Justinus (l) vitiorum tamen sordibus obruere & obscurare satagunt, adeò ut *malorum Duces & scelerum artifices* (m) eas, vociferentur. Parum & hoc esse dicam, quanquam maximum est, quod sexui imprimis Sancto (ut appellat Ambrosius) fieri poterat convitium. Sed quod odio sexus innocentissimi eò abripiantur infaniæ malè feriat quidam homines, ut asserant, Deum. O. M., quicquid in singulis creaturis est abominandum & diris devovendum omnibus, id omne in unam contulisse fœminam, quòd alii nè hominis quidem vocabulo ciendam, alii nullius sapientiæ, prudentiæ nullius, nullius denique artis honestæ capacem esse fœminam contendant (n), id ferendum nullò modò est, vel eò nomine, quod divinæ Veritati, fallere nesciæ, quod naturæ, neutri sexui iniquæ, quod ipsius Dei gloriæ, quam Architectus ille mirificus ex admirandis mantuum suarum operibus colligit, repugnat. Cæterum sexus muliebris haud muliebriter sese ab injuriis hisce vindicat, siquidem sexui suo præter alias notam infamiæ, quæ eum iniqui notaverant Judices, ademit Anna Maria à Schurmann, (o) quæ certè causam propriam non infelicitus, quam Hortensia quondam Romana apud Tribunos, ordinem suum plus justò gravantes, egit (p). Quid? quod ipsi adversarii injuriam, quæ sexum sequiorem onerarunt, obliterare velle videantur, dum tacitò quodam consensu decretum Patrum Romanorum, quo Veturiam atque Volumniam, Urbis excidium apud Coriolanum deprecantes, proferebantur (q) confirmant, fœminis quæ par est modestiâ assurgentes, locumque eis ubiq; honoratissimum dantes.

Neque

(l) Just. l. 1. cap. 2. n. 6. (m) Senec. in Hippolyt. (n) Conf. tract. Anonym. qui ante annos aliquot in lucem emissus, quò mulieres esse homines negatur. Plaro in Sympos. dubitat an fœmina inter rationalia aut irrationalia animalia sit referenda. Conf. m. Voët. l. c. quæst. 1. (o) In Problem. Pract. ad Rivet, quod in Opusc. p. 29. exstat. vidend. & in Epist. pag. 57. & fl. (p) Valer. M. l. 8. c. 3. (q) Id. l. 5. c. 2.

Neq; tamen defuit inter cordatiores viros, qui viros ingenii sui ad sexus muliebris defensionem accomodaret, neq; qui vitia atq; crimina, quæ ei intentare solent, *virtuosa* diceret. (r) Alii quoq; viri eruditissimi eruditionem foeminarum quarundam admirati *non invident eis Sempronias, Cornelias, Lælias, Mutias Cicebulinas, Cassandras Hortensias, non Enonias, Paulas Albinas, Pellas, Zenobias, Valerias Probas, Eudocias, non Grayas, non Olympias Moratas & quascunq; alias.* (s) Quinimo Theologi inter suos quisq; maximi nominis, Schmidius, (t) Voëtius, (u) Hottingerus, (v) adde & Chassanæum (x) & longè plures, qui ab his citantur, elogia literatarum mulierum scriptis suis limatissimis intexere non erubuerunt. Mihi itaq;, cui tanta duci auctoritate gloriosum esse debet, si explicite animi evolvenda sententia est, sapientia ipsa & scientia quælibet per commodè foeminino salutari titulo videntur, quæ foemineo generi adeò cognatæ ac convenientes sunt. Quemadmodum autem eò nomine foeminas è cavea, quam eis Augustus adsignavit superiorem, (y) in orchestram vocare & viris quoq; ipsis cum Lucretia Morinella (z) anteferre non ausim, sic dissimulare non possum, quòd valde mihi bilem moverit illud Franc: Loredani, quo fabulis Poëtarum novum affingit *ἐπιμύδιον*, dum eos Palladem obstetricante singulari ingenii acumine è Jovis cerebro eruere potius quàm è materno utero voluisse, asserit, eò quod nunquam sapientia à foemina proveniat, quod volunt ejus verba alioquin cultissima: *I Poëti figurando Pallade per Dea della sapie nza, dissero esser n ita senza madre dal solo cervello di Giove; per ammaestrarci, che è esser savio non proviene giamai dalle femine, che*

(r) Conf. supra cit. Agripp. & Gvev. in horolog. Princ. l. 2. c. 32. & ff. Item Joh. Riemerus in vitiis virtuosis sexus foemin. (s) Rivet. in Epist. ad Schurm. quæ exprimitur inter opusc. p. 80. (t) in muliere orthodoxa. (u) Voët. l. c. quæst. 7. (v) in hist. Eccl. Part. 5. dedicat. (x) in Catalogo gloria mundi. Part. 2. p. 88 usq; 120 Adde, sivi, Plutarch. de Virtut. mulier. (y) Svet. Aug. c. 44. (z) Tract. cui titulum fecit. La nobilità delle donne, con difetti e mancamenti degei huomini.

sono prive affatto di consiglio e di prudenza. (aa) Fanc sententiam, si non adoptavit, vel saltim inter suas retulit, illud eximium eruditæ Silesiæ Decus Daniel Casp: à Lohenstein, qui & hunc præcipuè & reliquos Gallos atq; Italos tam feliciter æmulatus est, ut plerumq; superaret, (bb) quippe eadem ferè verba expræssit in Arminio suo, (cc) qui nescio, an illa tam Illustris fuerit palmâ, quam vivus Varo eripuit, quam eâ, quam mortuus quoq; hujus Viri beneficio omnibus præfert. Sed ut ne ipse quidem Vir Nobilissimus omnia, quæ *ωσ εν επεισοδιω* in utramq; ventilavit partem in Dramate suo, serio esset asserturus, sic in multis cuiq; à se dissentire libet erum esse statuit. Præsertim hoc in passu divortium facere licebit: Cur enim Poëtæ non viro potius Præsidi, quam Foeminae Palladis provinciam dedere, si adeò ab hac abhorrebat sapientia? Si autem conjecturas sequi, aut idem, quod Nobilis ille Venetus jus in mysteria Varum mihi arrogare sustinerem, dicerem virginem aliquam, ultra sexus & seculi ita gloriam literis inclarescentem, quarum fuere plures, tantum credulis animis & ad superstitionem pronis injecisse stuporem, ut divini quid habere crederetur, & proin cultu divino nescio an honoraretur magis, vel oneraretur. Convenit certè analogia Historiæ, qualiscunq; ex *ἀδελφ* illius temporis ruderibus colligi potest: Homerum enim, qui quantum oculò cœcutiebat, tantum mentis acie perspiciebat, quibus honoribus & post fata cumularint, (dd) quis nescit? quid ergo Daphnidi Tiresiæ exhibitum honoris conjicies? de qua tamen Diodorus Siculus hæc refert: (ee) *Mira quædam puella indoles fuit, variisq; oraculis singulari artificio conscribendis operam dedit, à qua non pauca mutuatus carmina Homerus Poëta ad pœseos sua ornatum transtulit. Hæc quod sapius divino correpta afflatu sortes funderet, Sybilla cognomen accepit &c.* Eadem post hæc Delphis consecrata. (ff) fortè Græcorum Pallas fuit, quam si mavis ex Sacris cum Hornio magno illo Polyhi-

(aa) Nelle Bizzarrie Accademiche part. 2. p. 168. (bb) Christ. Gryphius in Carm. præmisio edit. Arminii. (cc) Part. 1. l. 3. p. 307. (dd) Cont. Herod. in vit. ejus. (ee) Ex vers. Rhodom. l. 4. c. 68. p. m. 256. (ff) Ibid.

lyhi, tōrepetere, per me non stabit, sic autem ille: (gg) *Quemadmo-
dum*, inquit, *Adameorum est Saturnus, Abel Pluto, Cain Neptunus, Seth
Jupiter: Ita Tubal'cain Vulcanum, Jubal Apollinem, Naëma Venerem vel
Miservam, Jibal Mercurium indubiè designant.* Utraq; certè inter-
pretatio fœminis Sapientiae & eruditionis palmam, nec nudam, sed
& lem niscis involutam, Judice quovis ab invidia vacuo, defert. Sed
nolo causa n̄ maturius decidere, cum ejus cognitioni dies jam sit di-
ctus, qui 25. est, mensis qui nunc volvitur, quem felici fidere nobis il-
lucescere Deus faxit! Hunc enim antiquitus fœminis dicatum (fi-
quidem memoriam. Judithæ eodem recolere Judæi consueverunt)
(hh) Ecclesia Romana Catharinæ Virgini Alexandrinæ in fastis sa-
crum esse voluit. Hanc autem eruditionis gloria 50. primum, cum
quibus committebatur, Grammaticos & Rhetores, tum etiam fidei
constantia innumeros superantem cruciatus, & martyrio corona-
tam, Palladem Christianam venditant papicolæ. (ii) His utut libel-
lum repudiū mittamus, tenentes non minus hanc ex Monachorum,
quàm fabulosam illam ex Jovis cerebro natam esse Palladem, attamen
vel inde Orator noster ansam arripere voluit, causam fœminarum,
quæ studiis sive literarum sive erga literas famam sibi quaerunt,
agendi. Quæ meditati uberiorem dedit copiam dicendi consuetudo
Musis nostris recepta, quæ dicto die quæ si Matronalia quædam
celebrare solent, in memoriam beneficii, quod à Matrona olim
Nobilissima accepere. Hanc ut antiquare ingrati incurrere notam
esset, sic eam conservaturi, Vos imprimis Republicæ ac Ecclesiæ
Præsules, & quovis Doctos atq; Candidos, qui Musas nostras vel fo-
vetis, vel studiis earum favetis, eâ quæ par est, observantia invita-
mus, ut Cognitori nostro Judices esse benevoli iidemq; Patroni non
dedignemini; Vos verò quotquot estis Athenæi nostri Curiales, ut
præsentes, atq; frequentes vos in comitio nostro consueto sistere
velitis, hisce peramanter citamus. Dabam Rigæ Dōm: XXVI, post
Trinit: Anno. Æ. S. M. DCC. III.

(gg) In arca Nox. p. 19. (hh) Conf. Gabr. Bucel. Nucl. Hist. in Calendar.
Hebr. (ii) Rabener. in amœn. Hist. Phil. p. 354. &c. & qui ab eo citantur.
Voss. de Philol. c. XI. Dresser. de festis. dieb.